



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. De Admirandis Latij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

stauerint mortuæ concidunt. *Varro, & ex eo Plinius.*

In eodem Monte spiritus scrobibus emittuntur, volucris tantum mortiferi. *Plinius lib. 3. cap. 93.*

§. 4. *De Admirandis Latij.*

REPERITVR apud Auctores subiectis Ariciæ aruis, si carbo deciderit ardere terram. *Plinius lib. 2. cap. 107.*

In Monte Circeo lethale venenum nasci perhibetur tam potens, vt sumptum mox pilis nudet totum corpus, ac membra omnia sic dissoluat, vt velut liquefcentium cadauerum speciem miserabilem præbeant. *Aristoteles in mirandis Auscultationibus.*

Inter Terracinam, & ædem Feroniæ turres bellicis temporibus fieri desiere, nullâ non earum fulmine dirutâ. *Plinius lib. 2. cap. 55.*

Apud Tusculanum locus est in quo in terram depacta non extrahuntur. *Plinius lib. 2. cap. 96.*

In Agro Gabiensi non procul ab vrbe Româ iugera ferè ducenta ad cursum equitantium tremunt. *Plinius lib. 2. cap. 103.*

In Vadimone lacu iuxta prædia Amerina, sylua est, quæ numquam in eodem loco visitur. *Plinius lib. 2. cap. 95.*

In Agro Sabino aiunt vnctum flagrare lapidem. *Plinius lib. 2. cap. 107.*

In Crustumino agro natum fœnum ibi noxium, extrâ salubre est. *Idem lib. 2. cap. 96.*

In Mutiis pratis non procul ab vrbe Româ Insula aliqua fluitat nullis alligata terris. *Plinius eodem libro cap. 95.*

In Agro Cæcubo vitifero, & palustri Sylua numquam eodem in situ visitur. *Plinius lib. 2. cap. 95.*

Fucino lacui inuectus amnis (Vibius Seq. hunc Pitornium vocat) non miscet aquas suas cum lacu, sed quas intulit, euehit. *Vibius Sequester libello de fluminibus, & Plinius lib. 2. cap. 103.*

§. 5. *De Samnio latè sumpto.*

Ad Beneuentum sic venti & turbines desæuiunt, vt homines equis insidentes deturbent, equosque ipsos deiiciant; ideo olim Malauentum vrbs dicebatur. *Plinius, & Titus Linius.*